

nuitur enim virtus, cum divertitur. Si mater plus diligit unicum, quam si simul numerum habuisset natorum. Tamen si tandem vis audire, nulli ego intima dilectione astringor, nisi cujus virtutem longis temporibus, atque veritatem in mille calamitatibus comprobavi. Vinum enim novum novus amicus; sapit enim in ore, bullit in ventre, fallit in capite, latet turbulentum in fœce. Et ideo nolo tuus esse amicus. Amicus stultorum similis eis efficitur. Quo dicto, repudiatam dimisit. »

Vers. 7. 7. SI POSSIDES AMICUM, IN TENTATIONE POSSIDE EUM. — *Tò possides et posside* significant actum inchoatum, non perfectum; quare idem significant quod *comparas et compara*. Hebr. enim קנה *kana*, et Græcum κτάνει, et *possidere et comparare* significat. Sic dicitur *Proverb. viii, 22*: « Dominus possedit, id est paravit, genuit, me. » Sensus ergo est, *q. d.* Si possidere paras amicum, si eum comparas ut possideas, para et compara eum per tentationem; nimirum, tenta et proba ejus fidem et amorem in rebus parvis, antequam ei committas magna. Unde Tigurina vertit, *si paras amicum, tentationem parato, et probato illum, et ne cito ei credas*. Pronomen enim *teipsum*, quod addunt nonnulli, delendum est cum Græcis et Romanis.

Prima ergo lex amicitiae est: « Prius delige amicum, quam diligas; prius proba, quam ama. » Nam, ut ait Ennius: « Amicus certus in re incerta cernitur; » et Vener. Beda in *Proverbiis*, littera A: « Amicum res secundae parant, adversae probant. » Si ergo, antequam emas vasa, prius ea inspicias; multo magis vitam eorum inspicere debes, quos tibi in amicitiam adjuncturus es, ait Antisthenes apud Laertium lib. II, cap. viii. Antonius in *Melissa* ex Menandro: « Aurum, inquit, probari solet igne; amici vero benevolentia tempore arguitur: qui enim tempore secundae fortunae amico adulatur, temporis est amicus, non amici. » Igitur sicut in fornace argentum vivum, auro licet inherens et amicissimum, mox liquatur, et abit: sic in tribulatione amicus infidus, licet antea intimus, abit et amicum deserit; mobilis enim est instar hydrargyri. Idem rursus: « Equi usum asperitas viae prodit, et amicum benevolam calamitates discernunt. » Poeta apud S. Augustinum (vel auctorem; non enim videtur esse S. Augustinus) lib. *De Amicitia*, cap. iii:

Non est personae, sed prosperitatis amicus,
Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat.

Isocrates apud Maximum: « Amicos, inquit, ex vitae calamitate, et periculorum participatione probato; aurum enim igne probamus, amicos autem in rebus adversis dignoscimus. » Ab Isocrate sumpsit hoc Ovidius:

Scilicet, ut fulvum spectatur in ignibus aurum
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Sicut Zeuxis, morose pingens, tarditatem ejus

mirantibus respondit, se aeternitati pingere: ita multo tempore multisque adversis probata amicitia, perdurabit, ait Plutarchus *De Multitudine amicorum*. Hinc Antisthenes apud Laertium lib. II, cap. viii: « Sicut vasa, inquit, explorantur pulsu et tinnitu, sic amicorum fides exploranda est tribulatione et rebus adversis. » Et Plutarchus: « Sicut navis compagem probat tempestas: si enim sit firma et valida, illi resistet; sin autem, fatiscet et dissiliet: sic amici probandi sunt malorum incursum. » Unde subdit Siracides: « Et non facile credas ei teipsum. » Quia, ut sapienter ait Antiochus Abbas *homil. 65*, « cuilibet obvio concedere sui peccatoris arcenum, peculiare est animae prorsus ineruditae, et quae nihilum experta est decoris et honestatis. » Rationem a priori subjicit dicens: « Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in tempore tribulationis. » Nam, ut ait Seneca ad Lucilium *epist. 9*: « In quid, amicum paro? ut habeam, pro quo mori possim; ut habeam, quem in exilium sequar. Detrahit amicitiae majestatem suam, qui illam parat ad casus. »

Porro Arabum proverbium, *Centuria 2, num. 83*: « Adjuva fratrem (amicum) tuum injuriam facientem, aut patientem, » impium est et antichristianum: omne enim patrociniū injuriae et sceleris, injuria et scelus est; proinde amici, qui amicos suo principi rebelles ad rebellandum injuste adjuvant, rebellionem auctorant, ideoque lege talionis merentur, ut et ipsi sibi subditos experiantur perduelles: atque haec amicitia durare nequit; illico enim dissuitur, quod scelere consutum est. « Amicus » ergo « esto amico, » sed « usque ad aras. » Audi S. Hieronymum in *Melchæ*, cap. vii: « Sed et nunc, ait, rara fides est, cum aliud in labiis, aliud in corde versatur; venenum animi, linguae mella tegunt. Amici divitum multi; a pauperibus autem, etiam qui videntur esse, discedunt. Unde dicitur: Si habes amicum, in tentatione posside eum. Legi in cujusdam controversia: Amicus diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur. Scripsit Theophrastus tria de amicitia volumina, omni eam praeferebat charitati; et tamen raram in rebus esse contestatus est. » Subdit deinde: « Est et Ciceronis de amicitia liber, quem Laelius inscripsit, in quo illud, quod apud nostros praecipitur, ut sit nobis amicus quasi vinum vetus, et in suavitate hibamus illud, pene eisdem verbis positum est. Amicitia pares aut accipit, aut facit: ubi inaequalitas est, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia, quam adulatio est. Unde et alibi legimus: Sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans: Serves, inquit, animae dimidium meae. Nolite ergo credere in amicis, id est, his hominibus qui de amicitia sectantur luere. Si vis vera amicitia delectari, esto amicus Dei; sicut Moses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum. »

Secundo, *tò posside* per metalepsin accipi posset pro *utere* quasi possessione tua: quae enim possidemus, ea possidemus ad usum, *q. d.* « In tentatione, » id est, dum tentaris, tribularis, affligeris, tunc recurre ad amicum, ejusque auxilio et consilio utere, ut ex tribulatione emergas; qui animi tribulatur et tentatur, sibi non sufficit, nec suo judicio fidere debet, sed amici. Verum prior sensus potior et germanior est, ut patet ex causa quam subdit dicens:

Vers. 8. 8. EST ENIM AMICUS SECUNDUM TEMPUS SUUM, ET NON PERMANEBIT IN DIE TRIBULATIONIS. — Dat causam cur ante amicitiam probandus sit amicus: quia, scilicet, multi sunt amici « secundum tempus suum, » id est, cum eis est opportunum et commodum, cum, scilicet, alterius ope et amicitia indigent, ut quod optant, consequantur, qui idipsum adepti et votis potiti abeunt, et amicum in tribulatione derelinquunt. Sic Alfonsus, Aragonum rex, testibus Panormitano et Aenea Sylvio in ejus Vita, amicos aulae frequentantes, ut officium vel beneficium aliquid obtinerent, vocabat vultures aulae, qui, eo quod quaerebant adepti, illico avolarent. Hue facit illud tritum:

Vulgus amicitias utilitate probat.

Unde Syrus vertit, *est amicus ad horam*, id est horarius, et non permanet in tempore tribulationis. In bonis tuis est sicut tu, et in malis tuis elongat se a te. Si cecideris, convertetur in te, et a conspectu tuo digredietur et abscondetur. Tigurina, *sunt enim amici, quamdiu sibi opportunum est, qui tibi desint tempore calamitatis tuae* Sapienter Aristoteles lib. VIII *Ethic. cap. iv*: « Vera, ait, amicitia est, non quam utilitas, aut necessitas; sed quam virtus et honestas conciliant. » Idem, lib. VII *Moral. Eudem.*: « Amicitia, ait, virtute, non pecuniis aut forma concilianda est. Etenim, si rebus caducis concilietur, caduca sit et ipsa necesse est. Nihil autem in rebus humanis est stabile praeter unam virtutem, quae sola fortunae ludibriis non est obnoxia. » Et Seneca in *Proverb.*: « Talem diligentiam exhibe in amicitia comparandis, ne incipias amare, quem deinceps possis odisse. Tu primum exhibe te bonum, et sic quaeras alterum tui similem. Turpius nihil est quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. » Divinius S. Augustinus (vel auctor) lib. *De Amicitia*: « Amicitia mundialis, ait, est plena fraudis atque fallaciae; nihil in ea certum, nihil constans, nihil securum; sed cum fortuna mutatur, et sequitur marsupium. Unde Salomon (Siracides Salomonis assecla) dicit: Est amicus secundum tempus, et non permanebit in tempore tribulationis. Tolle spem quaestus, et statim desinet esse amicus. » Et Isidorus Pelusiota, lib. III, *epist. 214*: « Inimicitiam, ait, in aqua scribere oportet, ut illico aboleatur; amicitiam autem in aes incidere oportet, ut perpetuo firma conservetur. »

9. ET EST AMICUS, QUI CONVERTITUR AD INIMICITIAM. — Hoc est secundum genus pseudo-amicorum, qui scilicet, ob levem offensam, ex amicis fiunt inimici. Sunt enim aliqui adeo vel arrogantes, vel delicati, vel debiles, vel morosi, ut re minima quae displiceat, offendantur, fiantque inimici. « Quidam inimici graves sunt, amici leves, » ait Seneca in *Proverb.* Cum talibus non est ineunda amicitia; verum enim est proverbium, quod recitat Livius lib. X *De Bello Macedon.*: « Amicitias immortales, inimicitias mortales esse debere. » Verum eo prolapsi sunt mores hominum, ut simulates sint immortales, amicitiae plus quam vitreae; plusque possit una Ate, quam centum Litae; atque omnium tardissime senescat ira, benevolentia vero ad quamvis levem occasionem intereat. Idem censuit Aristoteles lib. II *Rhetor.*: « Non est amicus, inquit, quisquis amare desit. » Quocirca « mores amici noveris, non oderis, » ut vulgo dicitur: nimirum, in amicorum moribus quaedam dissimulanda sunt, sic ut intelligantur quidem, sed tamen tolerentur, ne severior et oculatior in observandis amici malis, subvertas amicitiam; siquidem nulli futurus est amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre possit. Denique celebris est gnome Aristotelis lib. VII *Moral. Eudem.*: « Amicitia est stabilium, felicitas temperantium, » id est, eorum qui sua sorte contenti vivunt. Porro, sicut ex fortissimo vino fortissimum fit acetum: sic, si aceat amicitia, summa fit inimicitia, tum quia laesio, quae fit ab amico, est gravissima et inlime pungens; tum quia, quantum praecessit amor, tantum subsequitur odium, cum amor vertitur in odium. Unde Plinius lib. XXXVII, cap. iv: « Ut adamas, inquit, si frangi contingat malleis, in minutissimas dissilit crustas, adeo ut vix oculis cerni queant: ita arctissima necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur similitatem, et ex arctissimis foederibus, si semel rumpuntur, maxima nascuntur dissidia. »

ET EST AMICUS, QUI ODII, ET RIXAE, ET CONVIVIA DENUDABIT. — Haec sententia praecedentem explicat, *q. d.* Est, inquam, amicus, qui leviter ex amico conversus in inimicum, uti praecessit, revelabit tua secreta sibi a te communicata, praesertim convicia et probra, quae in odio et rixa in alium effudisti, vel alius in te effudit. In Graeco enim non est *tò amicus*; sed unica sententia hoc modo: *et est amicus, quia convertitur ad inimicitiam, et rixam opprobrii tui denudabit*; vel, ut vertit Tigurina, *sunt item amici, qui in inimicos conversi, opprobrium tuum per rixam proferant*, qui, scilicet, leviter rixantes tecum, in rixa tua secreta et probra occulta proferant, ut sit hypallage: « rixam opprobrii, » id est, « opprobrium rixae, » id est, opprobrium in rixa, per rixam proferant. Haec amicitia est feminea: masculi enim amoris est, ab amico offensum, in amicitia perseverare. Qui enim penitus amat, et quasi in naturam amoris transiit, is quan-

tumlibet offensus, et conviciis proscissus, non concipiet odium; imo sentiet sibi amorem accendi, velut fornax accensa, cui aliquantum inspergitur aquæ; et velut ignis, qui flabello agitata magis inardescit. Unde S. Hieronymus epistol. 41 ad Rufinum: « Amicitia, inquit, quæ deinere potest, vera nunquam fuit. » Et S. Chrysostomus, homil. 61 in Matth.: « Charitas, inquit, quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis atque invicta est, nec ulla obtreptione, ullis periculis, non morte, non aia re temporali conquassatur. » Et Cassianus, Collat. XVI, cap. III: « Hæc amicitia, ait, sola similitudine virtutum juncta est, quæ in nullis unquam casibus scinditur; quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem divellit. »

10. EST AUTEM AMICUS SOCIUS MENSÆ (Græce, *particeps mensarum*), ET NON PERMANEBIT IN DIE NECESSITATIS. — Græce *θίψας*, id est *afflictionis*; Vatablus, *est amicus quispiam, ut mensæ sit particeps, qui tempore calamitatis tuæ te deserat*. Tales vulgo vocantur amici ollares et parasiti, quibus aulæ æque ac popinæ abundant. Hæc enim est ollæ amicitia, quam patina non benevolentia conciliat, cui illud occinitur: *ζεῖ χύρα, ζῆ φίλα*, « fervet olla, vivit amicitia, » de qua Juvenalis:

Te putat ille suæ captum nidore culinæ,
Nec male coniectant.

Hos Eupolis vocat « amicos inter prandium, et iuxta sartagine. » Huc facit adverbium Hebraicum in Gemara: « Ad ostium tabernæ fratres et amici: ad ostium carceris, neque fratres, neque amici, » q. d. Ad fores cœnopoli et tabernæ omnes præsto sunt, salutantes officiose tabernarium, ut possint cum eo simul potare: at si viderint hominem capi et duci in carcerem, illico omnes ab eo affugiunt; imo ne unus quidem ad eum respicit, iuxta illud Poetæ:

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Nam, ut hirundines æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt: ita tales amici sereno vitæ tempore præsto sunt; sed simul atque hiemem fortunæ senserint, devolant omnes, ait auctor ad Herennium lib. IV. Sic et Seneca ac Pythagoras infidos amicos comparant hirundinibus.

Est hæc tertia species pseudoamicorum, qui non tui, sed sui ventris et gulæ sunt amici, ac proinde ea deficiente pariter deficiunt. Verum enim est illud: « Felicitas multos habet amicos. » Et: « Felicibus cognatus est quilibet. » Ex adverso: « Perit honor amicorum afflicto viro, paucique in rebus adversis fidi mortales ad laboris societatem, » ait Pindarus in *Nemæis*, ode 10. Huc pertinet proverbium Hebræum: « In domo sua hospes, in aliena pater familias. » Est enim

genus hominum, qui domi parcimoniam colunt, foris luxu diffuunt; quoniam aliena vorant ut sua, et suis parcunt ut alienis; in propria mensa formicæ, in aliena vultures, cujusmodi Demea fingitur in *Adelphis* Terentii. Præclare Cicero *De Amicit.*: « Plerique, ait, in rebus humanis bonum non norunt, nisi quod fructuosum sit; et amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos; ita pulcherrima illa, et maxime naturali carent amicitia per se, et propter se expetenda. »

11. AMICUS SI PERMANSERIT FIXUS, ERIT TIBI QUASI COEQUALIS, ET IN DOMESTICIS TUIS FIDUCIALITER AGET. — Post diversas species, quibus falsos amicos expressit, ad veri amici pervenit demonstrationem, ait Rabanus. Sensus est, q. d. Ubi inveniis fidum firmumque amicum, habeto eum ut æqualem, esto eo sis major, cum eoque age familiariter quasi cum æquali. Nam, ut ait Alcuinus, sive Albinus Flaccus, disp. cum Pipino, Caroli Magni filio: « Quid est amicitia? Aequalitas amicorum. » Est enim « amicus, alter ego, » ait Aristoteles, et amicitia æquales aut invenit, aut efficit, ait Cicero lib. *De Amicitia*: ac proinde permittit ei, ut inter domesticos tuos libere agat, eos vice tui monens, juvenis, dirigens, quasi causam tuam agens, et de commodis tuis sollicitus. Unde, cum Darii uxor, Hephæstionem putans Alexandrum venerata, errore agnito pudefieret, Alexander eam consolans: « Ne moleste feras, inquit, nam et hic Alexander est. » Ita Curtius in *Vita Alexandri*.

12. SI HUMILIAYERIT SE CONTRA (id est, coram) TE, ET A FACIE TUA ABSCONDERIT SE (ex modestia, verecundia et reverentia subinde subducens se, nihilominus) UNANIMEM (id est, per omnia consentientem) HABEBIS AMICITIAM BONAM. — q. d. Esto amicus tuus sit verecundior et modestior, non idcirco eum parvipendas, sed potius eo chariorem habeto; quia, cum jure amicitia posset amica erga te libertate uti, tamen ex modestia ea abstinet; imo hoc ipso magis agnoscere debes bonam et unanimem ejus amicitiam, de eaque tibi gratulari, quod, scilicet, se tibi subjiciat, teque honoret et revereatur, quasi tibi subditus, cum sit æqualis. Subditi enim sinceri, quia obedientes, magis sunt unanimes cum superiore suo, quem amant et reverentur, quam amicus cum amico sibi æquali. Alludit ad illud *Proverb.* XVIII, 24: « Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater, » de quo plura ibidem. Huc facit proverbium Arabicum, quod exstat *Centur.* 2, num. 75: « Cum fuerit amicus tuus mel, ne comederis eum totum. » Multi enim abutuntur bonitate et liberalitate amicorum. Et Cicero, lib. *De Amicit.*: « Amici, ait, non solum colunt inter se ac diligunt, sed etiam verebuntur: nam maximum ornamentum amicitia tollit, qui ex ea tollit verecundiam. »

Secundo, Palacius sic exponit, q. d. Sicubi contingat amicum tuum errasse, et præ errati pudore

humiliat ille se coram te, ac ex verecundia virtutum abscondit, id boni amici et amicitia certum habeto signum. Desperata enim est sanitas amici, quem sui peccati non pudet. Tertio, idem, q. d. Amicus, qui tua commoda absens gerit, unanimes habendus est; qui res tuas acturus humiliat, declinat et abscondit se a te, is verus amicus habendus est.

Rabanus et eum secutus Jansenius, priorem versum, undecimum scilicet, referunt ad verum amicum; posteriorem vero hunc duodecimum referunt ad fictum, sic enim legunt: « Si humiliaverit (amicus fictus fite) se contra te, a facie tua abscondet se, » in tempore necessitatis se suamque opem tibi subducat. Igitur « unanimem habebis (id est, habeto, et quaerito) amicitiam bonam. » Ratio eorum est, quia hic sensus magis accedit ad textum Græcum. Verum hæc dura, hiulca et distorta videntur, multaque supplet, quæ in textu non habentur: imo a lectione Vulgata dissentiunt. Accedit, quod vers. 12 nulla ficti amici fiat mentio, quodque versus ille plane pendeat a vers. 11, quo agitur de amico vero. Igitur de eodem uterque versus accipiendus est eo sensu quem initio recensui.

Porro Græca hic tam a Rabano quam a Vulgata versione toto cælo distant, eique quasi contraria sunt; omnia enim hæc accipiunt de amico falso, qui est socius mensæ, de quo dictum est vers. 10. De eo ergo sic dicitur vers. 11 et 12: « Rebus tuis secundis erit sicut tu (tibi blanditur, tibi se accommodabit, tuo more se geret, ait Vatablus), et in domesticos utetur libertate. (Vatablus, *potestatem exercebit quasi rem tuam agens*). Quod si dejectus, » humiliatus, afflicto « fueris, erit contra te, et a facie tua occultabitur. » Græcum de more sequitur Syrus; sic enim vertit, *in bonis tuis est sicut tu, et in malis tuis elongat se a te; si cecideris, convertitur in te, et a conspectu tuo digreditur et abscondetur*.

Nota: Amicitiam veram indigitat *unanimem*, tum quia « ubi unanimitas est inter amicos, ibi stabilitas est amicitia, » ait Rabanus; tum quia amicorum est idem velle, idem nolle, hoc est, esse unanimes, et consentire iudicio, æque ac voluntate; tum quia gustus, sapor, dulcedo, medulla et quasi anima amicitia est amicorum concordia et unanimitas. « Quid enim est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applies, et ita misceas, ut unum velis ex duobus? cui te tanquam alteri tibi committas? Non enim vectigalis est amicitia, sed plena decoris, plena gratia et virtutis, » ait Rabanus. Et Abbas Joseph apud Cassianum, *Collat.* XVI, quæ est de amicitia, cap. III: « Hæc est, ait, amicitia fida insolubilisque conjunctio, quæ sola virtutum paritate fundatur; Dominus enim inhabitare facit unius moris in domo, *Psalm.* LXVII. Et idcirco in his tantum indrupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac vo-

luntas, unum velle ac nolle consistit. Quam si vos quoque cupitis inviolabilem retentare, festinandum est vobis, ut, expulsis primitus vitiis, mortificetis proprias voluntates; et ut unito studio atque proposito, illud, quo Propheta admodum delectatur, gnaviter impleatis: Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! » *Psalm.* CXXXII. Vide eum cap. sequenti, ubi quinque ad hanc unanimitatem media suggerit: *primum* est contemptus opum et mundi; *secundum*, mortificatio voluntatis; *tertium*, ut omnia proponat bono charitatis et pacis; *quartum*, ut credat, nec justis, nec injustis de causis penitus irascendum; *quintum*, ut fratris iracundiam adversus se etiam sine ratione conceptam eodem modo quo suam, curare desideret. Denique, ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Causam vero initio capitis III præmittit dicens: « In his igitur cunctis unum est genus insolubile charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo, contractusque cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit, sed sola virtutum similitudo. »

Quin et Cicero, lib. *De Amicitia*, eam sic definit: « Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et charitate summa consensio. » Rursum: « Amicitia est sanctissima illa et familiarissima conjunctio inter duos aut tres, ex mutuo amore conflata, in qua est omnium studiorum ac voluntatum summa consensio. Amicitia vis in eo est, ut unus quasi animus fiat ex pluribus. »

Præclarus S. Ambrosius, lib. III *Officior.*, in fine: « Qui est unanimes, inquit, ipse amicus est, quod unitas animorum in amicis sit; neque quisquam detestabilior, quam qui amicitiam læserit. Unde in proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam, quod gratiæ vicem non representaverit, et conviviis amicitia venenum malitia miscuerit. Itaque sic ait: Tu vero homo unanimes, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Hoc est, non potest sustineri istud, quia unanimes appetisti eum qui tibi donaverat gratiam. Nam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, et ab eo qui me oderat, absconderem me. Inimicus vitari potest, amicus non potest, si insidiari velit. Illum cavemus, cui non committimus consilia nostra; hunc cavere non possumus, cui commisimus. Itaque ad acervandam peccati vindictam non dixit: Tu vero servus meus, Apostolus meus, sed, Unanimes meus: hoc est, non meus, sed etiam tuus proditor es, qui unanimum prodidisti. »

Ex dictis colligas amicitiam varie posse describi et definiri. Nonnulli veterum, ait Aristoteles lib. VIII *Ethic.* cap. 1, amicitiam definiverunt esse similitudinem. Sed similitudo est causa amicitia, non ipsa amicitia. Hesiodus apud Platonem in *Lyside*: « Amicitia, inquit, est consensio similitum. » Alii ex adverso: « Amicitia, inquit, est

consensio dissimilium. » Plato ibidem: « Amor, ait, et amicitia, est appetitio ejus, quod proprium et cognatum est, ex indigentia consurgens. » Verum hæc definitio nimis lata est, et cuiusvis amori competit. Cicerò, lib. *De Amicitia*: « Amicitia est voluntatum, studiorum sententiarumque summa consensus. » Hæc descriptio potius ex fructibus et effectibus amicitiae, quam essentiae ejus definitio. Aristoteles, lib. VIII *Ethic.* cap. II et VII: « Amicitia, inquit, est, amicum amico velle bona ejus ipsius causa, non latenter, sed aperte » amorem suum amico manifestando.

S. Augustinus (vel quisquis est auctor: ex stylo enim liquet non esse S. Augustinum), lib. *De Amicitia*, cap. VII: « Ego, ait, amicitiam nihil aliud esse credo, quam inter duos tantam voluntatum societatem, ut nihil velit unus, quod alter nolit: et ea sit inter utrosque in bonis malisque consensus, et non spes, non census, non honor, non quidquam, quod alterius sit, alteri denegetur, ad vovendum pro voluntate, et ad utendum, ut unusquisque, sicut erga se, ita afficiatur erga proximum in omni officio et obsequio, quod rependant invicem. » Brevius alii: « Amicitia est summus quidam tempore et consuetudine confirmatus amor mutuus duorum, aut ad summum trium, ex morum virtutisque similitudine profectus. » Alii plenius magisque diserte et dialectice: « Amicitia est proborum hominum mutuus, conspicuus confirmatusque amor, ex probitatis cognitione consurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem perducens. » Ecce hic sunt omnes amicitiae causæ. Formalis, est mutuus amor; materialis, sunt duo, vel tres invicem amantes; efficiens, est probitalis cognitio; finalis, « ad vitæ honestæ conjunctionem perducens. » Rursum S. Augustinus, lib. III *Contra Academ.* cap. VI, in fine: « Amicitia, ait, rectissime atque sanctissime definita est (a Cicerone), rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate consensus. »

13. AD INIMICIS TUIS SEPARARE, ET AB AMICIS TUIS ATTENDE. — Est hæc quasi conclusio dictorum de amicis veris et fictis, q. d. Igitur, quos nosti tibi inimicos, devita caveque in omnibus, ne tibi ulla in re nocere valeant; amicis vero ne nimis confidas, tum quia multi sunt falsi fictique amici, aut ex amicis mutantur in inimicos, uti præcessit; tum quia amici subinde seipsos quaerunt, et nimia libertate ac licentia, amici incommodo ad sua commoda abutuntur. Syrus, ab inimico tuo elongare, et ab amico tuo esto cautus. Hinc illud Poetae:

Fallere difficile est inimicum: at amicus amicum
Fallere non magno, Cyrne, labore potest.

Antigonus rex, teste Plutarcho, quotidie rogabat Deum, ut se ab amicis protegeret; rogantibus cur non potius ab inimicis, respondit: Quia hos cognitos vitare possum, illos vero fictos et factos cavere non possum.

Vatablus vertit, *inimicos tuos devita, et ab amicis cave tibi*. Nihil ergo coram, vel cum inimicis age, nihil loquere, nisi bene præmeditatum. Nam livor et odium eorum omnia tua facta et dicta sinistre interpretatur, omnia in pejorem partem torquet, carpit, accusat, damnat; sapiens tamen iis omnibus sapienter uti novit, omniaque in suum commodum convertit, vertit, memor illius dicti Catonis apud Ciceronem, lib. *De Amicit.*: « Melius in quibusdam acerbi inimici merentur, quam ii amici, qui dulces videntur: illi enim saepe verum dicunt, hi nunquam. Nulla enim in amicitia pestis est major, quam adulatio, blanditia, assentatio; delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest. » Porro S. Ambrosius, lib. *De Bono mortis*, cap. VII, hunc locum sic legit et explicat mystice: « Non credamus nos huic corpori, non miscemus cum eo animam nostram: Cum amico, inquit, misce animam tuam, non cum inimico. Inimicum tibi est corpus tuum, quod repugnat menti tuæ, cujus opera inimicitiae, dissensiones, lites perturbatio- nesque. Noli cum eo miscere animam tuam, ne utrumque confundas. »

Nota et ab amicis tuis attende. Significat enim subinde perfidos, subinde infidos, esse vel fieri amicos, ut proinde eis non sit fidendum, praesertim ubi res propria agitur. Exstat hac de re insigne apologus apud Gellium, lib. II, cap. XXIX, casitæ (alaudæ), quæ nidum et pullos collocarat in segete; cumque herus eam demessurus convocaret amicos, deinde vicinos, cassita pullos monuit ut secure consisterent; nihil enim effectum iri. Ita factum: amici enim et vicini suis occupati non venere ad metendum. Id videns herus detestatus amicorum infidam societatem, dixit filio: « Affer prima luce duas falces: unam egomet mihi, et tu tibi capies alteram: et frumentum nosmetipsi manibus nostris eras metemus. Id ubi ex pullis dixisse dominum mater audivit: Tempus, inquit, est cedendi et abeundi: fiet nunc dubio procul, quod futurum dixit. In ipso enim jam vertitur, cuja res est: non in alio, unde petitur. Atque ita cassita nidum migravit, et seges a domino demessa est. Hæc quidem est Æsopi fabula de amicorum et propinquorum levi et inani fiducia. Sed, quid aliud sanctiores libri Philosophorum monent, quam r* in nobis tantum ipsis nitamur? alia autem omnia, quæ extra nos, extraque nostrum animum sunt, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus? Hunc Æsopi apologum Ennius in *Satyris* scite admodum et venuste versibus quadratis composuit, quorum duo postremi isti sunt: quos habere cordi et memoriae operæ pretium esse herele puto:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:
Ne quid expectes amicos, quod tu agere possis.

Huc usque Gellius. Huc facit Italicorum adagium: « Qui vuole, anda; qui non vuole, manda. »

hoc est, qui efficaciter vult, ipse vadit ad rem conficiendam: qui non vult, mittit amicos vel famulos.

14. AMICUS FIDELIS, PROTECTIO FORTIS: QUI AUTEM INVENIT ILLUM, INVENIT THESAURUM. — Græce *εἰς*, id est *invenit*, in præterito; Syrus, *amicus veritatis*, (id est verus), *amicus est fortitudinis* (id est, fortis, imo quasi ipsa fortitudo et robor amici); *et qui illum inveniunt, inveniunt thesaurum*; Vatablus, *amicus fidus præsidium validum est: qui talem nactus est, thesaurum invenit*.

Incipit hic recensere commoda et elogia veræ amicitiae. Primum est, quod sit « protectio fortis; » Græce *στέγη κραταιά*, id est, *tegmen*, tegumentum, velamentum, tutela, præsidium (*στέγη* enim est tegeo, operio, munio, prætexo) forte, robustum, validum, firmum, potens, violentum, quod omnia vincat et superet. S. Gregorius Nazianzenus orat. 6 ad Gregorium Nyssenum: « Amicus, inquit, fidelis protectio fortis, munitum palatium. » Et inferius: « Amicus fidelis, solatii portus. » Et alibi « asylum tutissimum » nuncupat, « navemque contra omnes tempestates munifissimam. » Sic et Isidorus Pelusiota amicitiam vocat « panopliam fortissimam. » Causa est, quam dat Cicero lib. *De Amicit.*: « Inter amicos, ait, omnium rerum, consiliorum et voluntatum sine ulla exceptione fit communitas. » Et Seneca, *epist.* 48: « Consortium rerum omnium facit amicitia. » Et lib. VI *De Benefic.* cap. XII: « Non sic mihi cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit pars illius; sed quomodo patri matricæ communes sunt liberi. »

Amicus ergo fidus amici non tantum substantiam et famam, si illa a raptore vel detractore lædatur, tam verbo quam consilio et auxilio protegit; sed et vitam, conscientiam et animam a mortis præsentis et æternæ tuetur, imo vitam propriam pro amici vita discrimini exponit, uti fecere Nisus et Euryalus apud Virgilium IX *Æneid.*, Pylades et Orestes, Damon et Pythias, teste S. Ambrosio lib. II *De Virgin.*, ac præstantius S. Basilii et S. Gregorius Nazianzenus, de quo idem orat. 20 in S. Basil.: « Nec nobiscum, ait, Gentiles Orestes suos et Pylades ullo modo conferendos putabant, nec Melionidas illos Homericæ versu celebratos, quos calamitatis societas atque ars egregie aurigandi nobilitavit, eodem tempore frena et verbera inter se partientes. » Sic Abraham ostendit se amicum Lot, dum eum cum vitæ suæ periculo e manibus hostium liberavit, *Genes.* XIV; et Chusai Davidi, cum Achitophelis consilia apud Absalonem Davidem patrem persequentem discussit II *Regum* XVII. Sic Jonathas Davidem amicum apud Saulem ab omni injuria protexit, juxta illud *Ecclesi.* IV, 10: « Si unus ceciderit, ab altero fulciatur, etc. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur. »

Porro nullus justo est amicus fidelior et fortior

Deo. Hic ergo ejus est fortis protectio, arx et asylum in omni tentatione et adversitate, juxta illud *Psal.* XC, vers. 1: « Qui habitat in adiutorio (Hebr. *in latibulo*; Chaldaeus, *in secreto*; Hieronymus, *in abscondito Eccelsi*) Altissimi, in protectione (S. Hieronymus, *in umbraculo*; Chaldaeus, *in umbra millium gloria, omnipotentis*) Dei cæli (Hebræice *Saddai*, id est, sufficientissimi, qui sufficit protegere contra omnia mala, et dare omnia bona, ut justus Dei ope nixus nihil sub cælo timeat, ait S. Bernardus) commorabitur (Hebræus, *pernoctabit*, noctu securus erit). Dicit Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum: Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium et a verbo aspero, scapulis suis obumbrabit tibi. » Lege sequentia. Vide S. Augustinum, *homil.* 38 inter 50, ubi docet veram amicitiam non esse, nisi quæ Deo nititur et conciliatur: « Incipiat, ait, homo amare Deum, et non amabit in homine nisi Deum. Nihil delectabilius Deo. Nam in homine sunt quæ offendant: Deus non est, qui te offendat, si tu eum non offendas: nihil illo pulchrius, nihil dulcius. Si pulcher est mundus, qualis artifex mundi? Evelle ergo cor tuum ab amore creaturæ, ut inhæreas Creatori, ut dicas quod in psalmo scriptum est: Mihi autem adherere Deo bonum est. Si autem deseris eum qui te fecit, et amas illa quæ fecit, deserto illo qui te fecit, adulter es, etc. Amicum gratis amas, et ad hoc cum amas, ut tecum amet Deum. » Hæc et plura sparsim eo loco S. Augustinus. Idem serm. 256 *De Temp.*: « Dominum, ait, amemus, quo nihil melius invenimus: ipsum amemus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum. Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio: propter aliud si nos diligimus, oderimus potius quam diligimus. » Idem (vel quisquis est auctor, stylus enim humilior et jejuniior arguit non esse S. Augustinum), lib. *De Amicitia*, tom. IV: « Constat mihi, inquit, Tullium veræ amicitiae ignorasse virtutem, cum ejus principium finemque, Christum, penitus ignoravit, qui est et », principium et finis omnium laborum. Vera amicitia non potest esse inter eos qui sine Christo sunt. » Et S. Ambrosius, lib. III *Officior.* cap. XV. « Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietas custos amicitia est. »

Secundum amicitiae commodum est, quod ipsa amico sit thesaurus, id est, res pretiosa, dives, opulenta, quæ illi rerum copiam, æque ac voluptatem afferat. Quocirca Cyrus apud Xenophontem ait, « optime pecunias apud amicos æponi, neque ullos his tutiores ac fideliores esse thesauros. » Et Seneca: « Hæ sunt divitiæ certæ, inquit, in quacumque sortis humanæ levitate uno loco permansuræ: quæ quo majores fuerint, hoc minorem habebunt invidiam. » Alexander Magnus rogatus ubi thesauros haberet: « In ami-

eis, » inquit. Ita Maximus, *serm. De Amicitia*. Huc facit illud Comici: « Cum sunt amici, esse tibi thesauros putes. » Sicut enim ex thesauro depromis non solum necessaria, sed et utilia ac jucunda ad usum: sic et ex amico ejusque opibus et dotibus. Unde illud *Cantic. iv, vers. 12*: « Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. » S. Gregorius Nazianzenus orat. *ad Gregorium Nysseum* id explicat de fido amico: « Amicus, inquit, fidelis, hortus conclusus, fons obsignatus: quæ opportune aperiuntur et communicantur, » *q. d.* Sicut ex horto fructus, ex fonte aquam, cum libet, hauris et depromis: sic et ex amico accipis omnia ad vitam opportuna. Quin et Cicero lib. *De Amicit.*: « Multæ sunt res, inquit, in quibus de suis commodis boni viri multa detrahunt, et detrahi permittunt, ut ipsis potius amici fruantur, quam ipsi. »

Quantus sit amicitiae thesaurus, liquet ex ejus officiis et legibus, quas tum alii, tum Cicero recenset lib. *De Amicit.* *Prima*, ait, lex in amicitia sancienda esto, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. *Secunda*, in amicitia nihil fictum, nihil simulatum sit, et quicquid sit, id verum et voluntarium sit. *Tertia*, in vera amicitia nihilo se plus alter, quam alterum diligit. *Quarta*, præcipiendum in amicitia, ne intemperata benevolentia (quod sæpe fit) impediatur magnas utilitates amicorum. *Quinta*, amicitia non est ad fructum nostrum referenda, sed ad illius commoda, quem diligimus: alioqui non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum. *Sexta*, non utilitatem amicitia, sed amicitiam utilitas sequitur. *Septima*, amicitia nunquam intemptiva, nunquam molesta sit. *Octava*, amicitia virtutum adiutrix a natura data est, non vitiatorum comes. *Nona*, amicitia summa fide, constantia, justitia servanda est. *Decima*, in amicitia superior par esse debet inferiori. *Undecima*, nimie amicitiae fugiendæ, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus. *Duodecima*, amicitiae non debet esse satietas, et veterrimæ amicitiae debent esse suavissimæ. *Decima tertia*, amici sæpe monendi et objurgandi sunt. *Decima quarta*, amicitiae, quæ minus probantur, sensim dissuendæ sunt, non repente præcidendæ, ut censuit Cato. *Decima quinta*, amicitia postulat mutuas salutationes, officia, affabilitatem, alloquia. Nam, ut ait Aristoteles lib. VIII *Ethic. cap. v*: « Multas amicitias dissolvit ἀπροσηγορία, id est taciturnitas, vel inaffabilitas. *Decima sexta*, amicus amico in lætis congaudere, in tristibus condolere debet. eumque omni ope et opera sublevare. Nam, ut ait Diogenes, « amicorum et deorum omnia sunt communia. » Et Plutarchus, lib. III *Symposiac.*, quæst. x: « Amici ad salem et cuminum, » ut, scilicet, pauperiem mutuam tolerant et sustentent, paratque sint sale et cumino duntaxat propositis una cenare. *Decima septima*, amicus amici odia, incommoda, dispendia, etc., in se suscipiat.

Unde Chilon, ait Plutarchus lib. *De Multitudine amic.*, cuidam dicenti nullam se habere inimicum, respondit: « Videris mihi tu etiam nullum habere amicum. Inimicitiae quippe statim comitantur amicitias, iisque se implicant: neque fieri potest, ut amici non fiant injuriarum, ignominiarum odiorumque participes: inimici enim amicum ejus quem oderunt, suspectum habent, maleque ei cupiunt. » *Decima octava*, amicus amicis scribis, sensibus, votis, quoad licet, se accomodat. Nam, ut ait ibidem Plutarchus: « Contentus quidem nervorum ex contrariis sonis conflatur, acutus et gravibus, utcumque similitudinem quamdam gignentibus: amicitiae autem contentus nullam vult partem esse dissimilem aut inæqualem; sed oportet omnia dieta, sensa, consilia et affectus inter se convenire, veluti uno animo in plura diffuso corpora. » Insuper amicus pro amico tristitia et dura constanter patitur. Sic Martyres pro Deo sibi amicissimo ignes, equuleos, feras, etc., forti lætoque animo tolerant. Unde S. Augustinus in cap. VI S. Joan., *tract. 27*: « Quomodo, inquit, mansit in illo (Deo) S. Laurentius? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad peremptionem; parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne. » Sic Christus Apostolos vocat amicos, *Joan. xv, 15*. Quare? quia « vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, » *Luce xxii, 28*.

15. AMICO FIDELI NULLA EST COMPARATIO (*q.* Nihil ei comparari potest tanquam æquivalens. Græce, οὐκ ἔστιν ἀντίλογον, id est, non est commutatio, permutatio, compensatio; Vatablus, *amico fideli nullum par est pretium*, nihil est, quod ejus dignitatem et utilitatem æquet, ut etiamsi omnibus opibus emeret amicum fidum, non tamen par et justum pro eo appenderes pretium); ET NON EST DIGNA PONDERATIO AURI ET ARGENTI CONTRA BONITATEM FIDEI ILLIUS, — quæ, scilicet, in altera bilancis lance illi contraponatur, illique æquiponderet et æquivalet: semper enim bonitas fidei, id est, fidelitatis amici, quantolibet auro et argento præponderabit, eritque dignior et pretiosior. Græce, καὶ οὐκ ἔστιν ἰσοβαρὴς τῆς καλλοῦς αὐτοῦ, id est, et non est pondus pulchritudinis (bonitatis) illius, *q. d.* Non satis potest ponderari aut æstimari pulchritudo, id est, decus, bonitas et pretium veri amici. Syrus, *amico fideli non est pretium*. Pretio æstimari nequit, quia pretium omne sperat, et non est pondus gratiæ (in dāro) ejus. Tigurina, *nulla re digne decus fidei ejus rependitur*, nihil ei est ἀντίτιον, id est, æquiparabile, æquandum, conferendum. Unde apud Hebræos est proverbium: « Potior est amicus in platea, quam aurum in cista. » Et Homerus *Odyss. θ*: « Fides amicus non est inferior, nec posthabendus fratri germano. Et Cicero, lib. *De Amicit.*: « Haud scio, ait, an, excepta sapien-

Amicitia: commodum tertium.

tia, quidquam sit homini amicitia melius a diis immortalibus datum. Solem e mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt. » Denique Franciscus Victoria, et ex eo Franciscus Suarez, *tract. de Charit., disp. ix, sect. 4*, docent posse tanta esse amici in amicum beneficia, ut liceat eum magis amare, quam proprium patrem. Vide Plutarchum, *dialog. De Amico fideli*, ubi eum omnibus consanguineis præfert: « Habes, inquit, rem dulcissimam sanctissimamque, qua una post solam virtutem nihil homini melius, vel natura, vel casus, vel studium dedit: dulces, fateor, parentes, dulces avi, dulces item filii, dulces fratres, dulces uxores; possunt tamen amarescere, nec parentes ideo, nec fratres, nec filii desierunt esse, cum tamen dulces esse desierint: at amicus solus, dum sit verus, dulcis et charus esse non desinit. »

Insigni canis et lupi apologo idipsum ex imis amicitiae et virtutis radicibus declarat Cyrillus, lib. III *Apolog. moralium*, cap. ultim.: Canis, inquit, verberatus ab hero clamans et ejulans, increpatus a lupo dicente: « Tu reus tibi es, qui tantum semper hominem dilexisti: pro labore igitur tuo suscipe dolorem; respondit:

Si fortuna dedit dudum mihi dulcia, quare Dedigner sub ea paucula dura pati?

Si bona suscepi de manu hominis, quare non suslineam et mala? Sicut asbestus lapis, qui vere diligit, semper accenditur. Quid ergo dignum dabitur pro virtute, aut quid æquivalens reddetur pro grato homine? certe nihil est quod a grato liberaliter rependitur, nisi virtus pro virtute, amor pro amore, atque homo pro homine quantum socius redonetur. Vade igitur, quia hominis semper sum amicus, et tuus propter hominem perpetuus inimicus. Quibus cum pavore auditis, lupo mox in solitudinem fugit. »

Tertium est hoc amicitiae elogium, quod pretium ejus sit incomparabile et inæstimabile. Sequitur *quartum*.

16. AMICO FIDELIS, MEDICAMENTUM VITÆ ET IMMORTALITATIS. — Sic legit et S. Cyprianus, lib. III *Testimon.* Nam Græce tantum est, φάρμακον ζωῆς, id est, *pharmacum vitæ*, scilicet, miseræ hujus et ærumnosæ: idque primo, quia omnibus hujus vitæ miseris et ægritudinibus, tam corporis quam animi, uti sunt mœrores, angores, timores, etc., quæ innumeræ sunt, medetur amicitia, consulendo, juvando, et consolando amicum: quo significat vitam nostram esse continuam infirmitatem et ægritudinem, non unam, sed multiplicem, cuius medicus sit amicus, juxta illud *Proverb. xv, 4*: « Lingua placabilis, lignum vitæ; » Hebræus et Chaldæus, *medicina* (Septuaginta, *sanitas*) *linguæ, arbor vitæ*. Unde Syrus verit, *amicus fidelis, medicina est vitæ*; Arabicus, *amicus fideli* (id est fidelis) *est velut emplastrum vitæ*. « Quid dulcius, ait Seneca in *Proverb.*, quam

habere amicum, cum quo omnia audeas; cui sic credas, ut tibi; cui sic loquaris, ut tecum. Sapiens etsi contentus est se, tamen amicum vult habere: sed hoc ob nihil aliud, nisi ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus jaceat: non ad hoc, ut dicit Epicurus, ut habeat, qui sibi assideat, succurrat: sed ut habeat, cui assideat, quando libet. » Vere S. Hieronymus in cap. VII *Mich.*: « Amicus, inquit, diu quæritur, vix invenitur, difficile servatur. » Nam, ut ait Comicius: « Quod medicus est ægro corpori, hoc amicus est mentis ægritudini. Nam verba amica sunt medela commoda. »

Secundo, amicus est pharmacum vitæ et immortalitatis, quia affert et prolongat vitam: tum præsentem mortalem, dum facit hominem imperturbabilem et impassibilem; tum futuram immortalitatem, instar ligni vitæ, juxta illud: « Fructus justii, lignum vitæ, » *Proverb. xi, 30*. Ille enim verissimus est amicus, qui amicum docet iter, et ducit ad beatam immortalitatem. Fidelis ergo et Christianus amicus suis monitis, consiliis, instructionibus, correptionibus efficit apud amicum, ut is semper vivat, tum in hoc sæculo per famam, tum in futuro per gloriam. Quocirca S. Augustinus lib. IV *Confess. cap. vi*: « Bene, inquit, quidam (Horatius) dixit de amico suo: Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam, et animam illius (amici) unam fuisse animam in duobus corporibus; et ideo mihi horrore erat vita, quia nolebam dimidius vivere: ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. » Audi Rabanum: « Amicus dicitur, quasi animi custos. In amico quippe fideli medicamentum est vitæ et immortalitatis: quia, si fidelis est, secundum Deum utique amicus est: si autem secundum Deum amicus est, ea semper cum amico tractat, quæ ad medicamentum vitæ æternæ, et immortalitatem perpetuam pertinent. »

Unde est illa Tullii Ciceronis sententia, « amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri (quem eundem sapientem licet dicere) hæc duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit, neve simulatum; aperte enim vel amare vel odisse magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. Deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere; sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. Accedat huc suavitas quædam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia autem, et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet, et liberior, et dulcior, et ad omnem facilitatem proclivior. »

Audi et S. Ambrosium lib. I *Officior. cap. xxxii*: « Benevolentia, ait, communis quædam parens omnium, quæ amicitiam connectit et copulat: in consiliis fidelis, in prosperis læta, in tristibus